264 Octauus intellectus ad leg. final. Codic. de fideicommiſſis.

265 Milites quomodo velint, poſſunt teſtari, & quæ ſolemnitates in eorum teſtamentis requirantur?

266 Statutum vtrum inducere poſſit, vt priuatus teſtetur cum minori teſtium numero, quam lege communi requiſitus ſit, & n. ſeqq.

267 Per verba hec: Nullo modo, videtur adempta inferioribus à Principe facultas contrarium diſponendi.

268 Dictio, ſi vero, eſt aduerſatiua in iure, & in facto.

269 Prima opinio, quod ſtatutum non poſſit introducere, vt cum minore teſtium numero teſtetur quam ſtatutum ſit iure communi.

270 Referens ſimpliciter aliquid, & non reprobans, nec approprians, videtur approbare.

271 Teſtamentum in ſcriptis publicari debet.

272 Pater naturalis poteſt inter liberos duobus teſtibus teſtari.

273 Secunda opinio communis, quod ſtatutum poſſit illud introducere, ſcilicet, vt teſtatus minori teſtium numero, quam iure communi requiſitus ſit.

274 Reprobatio conſuetudinis à contrario legis ſenſu collecta non eſt extendenda ad reprobationem futuræ conſuetudinis, vel ſtatuti.

275 Stante ſtatuto, quod pro teſtamento ſufficiant quinque teſtes, non ex hoc ſufficient tres teſtes pro codicillis.

276 Teſtator non poteſt prohibere cautionem de vtendo & fruendo; ſalua rerum ſubſtantia arbitrio boni viri, quæ ab vſufructuario heredi per prætorem præſtanda eſt.

277 Teſtator nec per viam conditionis, vel pœnæ poteſt prohibere huiuſmodi cautionem.

278 Teſtatori liberum eſt, de re heredis ſicut de propria, diſponere.

279 Cautio de vtendo & fruendo, ſalua rerum ſubſtantia, &c. non ſolum eſt inducta in fauorem heredis, ſed etiam ne quis inuitetur ad delinquendum.

280 Heres poteſt remittere cautionem hanc.

281 Vſufructuarius, licet non præſtiterit cautionem hanc, tenetur tamen ad damnum reiuendicatione.

282 Damni & deteriorationis ratio habenda eſt in hac reiuendicatione, qua tenetur vſufructuarius.

283 Dolus præſumptus an remitti poſſit.

284 Vſufructuarius, ſi male vtatur re, in qua habet vſumfructum, poteſt expelli à proprietate.

285 Heres quod non poſſit remittere vſufructuario cautionem de vtendo & fruendo, &c. ſecundum opinionem quorundam.

286 Heres in præiudicium & fraudem creditorum hereditariorum, quibus bona ſunt obligata, non poteſt remittere hanc cautionem.

287 Conſtituens vſumfructum inter viuos, an poſſit remittere hanc cautionem? & n. 290.

288 Argumentum à contrario ſenſu non eſt ſumendum, vbi abſonus & iure reprobus intellectus reſultat.

289 Teſtatore mandante heredi ſuo vt pauperem aliquem & deploratæ hominem fortunæ recipiat in fideiuſſorem pro vſufructuario, heres non tenetur huiuſmodi voluntati obtemperare.

290 Conſtituens vſumfructum inter viuos, quod hanc cautionem de vtendo & fruendo, &c. remittere poſſit.

291 Donans rem propriam, retento vſufructu, non debet præſtare hanc cautionem.

292 Teſtator ſi leget vſumfructum homini inopi, qui ſatiſdare heredi non poſſit, an legatarius hic ſine cautione vſumfructum habere debeat, & numeris ſequentibus.

293 Difficile reputatur iuris præſumptione, inuenire fideiuſſorem, & in homine inope facultatibus impoſſibile.

294 Prætendens proprietatem, vel vſumfructum ſibi relictum, an ſtetur eius iuratoriæ cautioni cum hypotheca, ſi non poteſt cauere propter paupertatem.

295 Offenſus propter paupertatem non poteſt præſtare cautionem de non offendendo, an liberetur præſtando iuratoriam cautionem? & numero ſequenti.

299 Maritus conuentus ab vxore propter ſæuitiam, ſi eſt pauper & non poſſit inuenire fideiuſſorem de non offendendo vxorem, & eam bene tractando, an liberetur cum iuratoria cautione? & n. 297.

288 Legato vſufructu homini inopi, qui ſatiſdare non poſſit, quod detur optio grauato, an velit ſtare iuratoriæ cautioni, vel poſſidere, & redditus fructuario ſoluere, ſecundum opinio. Bald.

299 Legatum huiuſmodi, quod non debeatur legatario, niſi cauerit cum fideiuſſione.

300 Legato vſufructu homini inopi, qui ſatiſdare non poſſit, ſi legatarius eſt perſona ſuſpecta, res ſequeſtratur apud bonum & grauem virum, à cuius manu legatarius capiet commoditatem vſusfructus, ſi vere legatarius integræ opinionis ſit, & non poſſit fideiuſſorem præſtare, ſatis eſt quod præſtet iuramentum de re bene adminiſtranda.

301 Teſtator remittere poteſt confectionem inuentarij.

302 Teſtator poteſt prohibere Falcidiam detrahi, & cuius fauore ſit inducta Falcidia.

303 Heres militis non tenetur creditoribus hereditarijs vltra vires hereditarias.

304 Publice intereſt, vt teſtamenta hominum ſortiantur effectum.

305 Ratio Bart. quare olim non poterat prohiberi Falcidia eaque improbatur.

306 Altera ratio Cumani eiuſdem rei.

307 Iuri prohibitiuo renuntiari non poteſt.

307 Ratio quare hodie teſtator poſſit prohibere Falcidiam detrahi.

308 Pium eſt exſequi defunctorum voluntates etſi ad cauſſas pias illæ non ſpectent.

309 Caſus ſingularis, in quo valent relicta in teſtamento, etiam non adita hereditate, ſcilicet, quando heres ſcriptus non vult adire propter prohibitionem quartæ Falcidiæ.

310 Referuntur nonnulli tenentes contrarium, & approbatur ſententia Bart. præcedens.

311 Heres proprie dicitur ille, qui adiuit hereditatem, & improprie, qui ſolum heres inſtitutus eſt.

312 In omnibus caſibus, quibus legata à iure debentur non adita hereditate, neceſſe eſt à venientibus ab inteſtato ſaltem hereditatem adiri.

313 Sed an iure Regio id procedat, declaratur.

314 Fideicommiſſum vniuerſale, non ſuſtinetur propter prohibitionem quartæ, niſi heres ſcriptus adeat hereditatem.

315 Hoc limitatur, ſi heredi ſcripto eſſet remiſſa per teſtatorem neceſſitas compulſionis.

315 Teſtator poteſt heredem grauatum reſtituere, liberare compulſionis neceſſitate.

316 Teſtator, an poſſit tacite prohibere detractionem Falcidiæ modis hic poſitis? Prima opinio negatur, & numero ſequenti.

317 Lex quando iubet aliquid expreſſe fieri, non ſatis eſt illud induci per coniecturas.

318 Teſtator, quod poſſit tacite prohibere Falcidiæ detractionem. Secunda opinio.

319 Qui

319 Qui dotem, ſoluto matrimonio, reddere promiſit, adhuc partem dotis ex ſtatuti diſpoſitione ſibi retinere poteſt, præterquam, ſi maritus promittat totam dotem reſtituere.

320 Socius, vel alius ex his, qui in id, quod facere poſſunt, conueniuntur, ſi ſolidum ſoluere promittant, videntur illi priuilegio renuntiare.

321 Diſtinctio Pauli de Caſt. an teſtator poſſit tacite prohibere detractionem Falcidiæ.

322 Teſtator an poſſit prohibere Trebellianicam detrahi? Prima opinio negatiua.

323 Teſtator, quod poſſit prohibere Trebellianicam. Secunda opinio affirmatiua, & n. 329.

324 Appellatione Falcidiæ, Trebellianica quoque comprehendi ſolet.

325 Argumentum procedit de propria & ſtricta ſignificatione vocabuli ad impropriam & latam.

326 Quando duo caſus ſunt æquiparati, lex noua agens in vno, videtur etiam in alio caſu prouidiſſe.

327 Quod procedit etiam ſi lex ſit noua, & correctoria ſimul & etiam in exorbitantibus, & in diſpoſitionibus odioſis.

Ex ratione ſcripta in lege, licita eſt extenſio in correctorijs.

329 Quando per aliquem intellectum reducimur ad ius commune, etiam in correctorijs licita eſt extenſio.

330 Teſtator poteſt prohibere Trebellianicam, etiam in codicillis.

331 Teſtator an poſſit prohibere Trebellianicam liberis primi gradus? Articulus difficilis & controuerſus.

332 Filij teſtatoris acceptantes expreſſe prohibitionem expreſſam Trebell. factam per teſtatorem, minime poſſent illam detrahere.

333 Teſtator, an poſſit prohibere Trebellianicam filijs legitimatis?

334 Legitimatus vere legitimus dici poteſt.

335 Legitimatis filijs eadem prorſus legitima debetur, quæ & legitimis.

335 Falcidiæ & Trebellianicæ vſus, an hodie practicatur? remiſſiue.

336 Teſtator non poteſt prohibere inſinuationem requiſitam ab ſtatuto pro validitate teſtamenti.

337 Ea, quæ ſtatuuntur propter euitandam falſitatem vel periculum, non poſſunt remitti.

338 Iuri ſtatutario renuntiari non poteſt.

339 Legibus requirentibus inſinuationem donationis renuntiari non poteſt.

340 Iuramento inſinuationi donationis, an poſſit renuntiari? Prima opinio negatiua.

341 Iuramento inſinuationi donationis, quod poſſit renuntiari. Secunda opinio affirmatiua.

341 Iuramento inſinuationi donationis factæ Iudæo, renuntiari non poteſt.

342 Reijcitur noua opinio Menchacæ in præcedenti articulo, an cum iuramento poſſit renuntiari inſinuationi donationis.

343 Donatio etiam iurata, non tamen inſinuata non valet, quando propter non factam inſinuationem aliqua fraus, vel falſitas interueniſſet, idque conſtitiſſet.

344 Teſtator poteſt facere, ne bona ſua hereditaria ſint tacite hypothecata pro legatis.

345 Teſtator poteſt facere & diſponere: quod legatarius poſſit ingredi poſſeſſionem rei legatæ propria auctoritate.

346 Valet pactum inter contrahentes, vt quis ingrediatur rem aliquam propria auctoritate.

347 Iudex poteſt dare alicui facultatem ingrediendi rem propria auctoritate.

348 Teſtator poteſt auferre heredi priuilegium interdicti, quorum legatorum, quod habet, vt à manu heredis capiat legatarius rem legatam.

349 L. non dubium, C. de legat. limitatur. præterquam ſi ab ipſo teſtatore facultas concedatur occupandi rem legatam propria auctoritate.

350 Diffinitio ſolet in iure ſubſtantiam rei ſignificare.

351 Satis eſſe in diffinitione comprehendi naturam regularem rei diffinitæ.

352 Legatum aliquod vere conſiſtere, quod tamen ab herede non ſit præſtandum, vt legatum liberationis.

354 Teſtatore dicente Titio domum lego in qua illi vim fieri veto, ex his verbis videtur conceſſum vt domum ingrediatur propria auctoritate.

355 Teſtator ſi dicat heredi ſuo, ne impediat legatarium in re legata, videtur legatario data facultas ingrediendi rem legatam propria auctoritate.

356 Inſtitutus in re certa dato coherede vniuerſali, poteſt occupare rem illam propria auctoritate.

357 Teſtator inſtituendo vxorem dominam & vſufructuariam bonorum ſuorum exſtantibus liberis, cenſetur tantum relinquere alimenta.

358 Alimenta hæc hoc caſu vxor propria auctoritate percipiet.

356 Teſtator ſi dicat, lego Titio centum, vel domum, ſeu equum, & volo hoc legatum ad ipſum libere peruenire, videtur concedere legatario facultatem, vt occupet rem legatam propria auctoritate.

360 Tenentes contrarium referuntur, & alia diſtinctio Ripæ.

361 In quibus caſibus licet alicui apprehendere propria auctoritate poſſeſſionem, intelligi debet, ſi poſſeſſio vacat, non ſi ab alio occupata ſit.

362 Lex quando in aliquo caſu transfert poſſeſſionem abſque apprehenſione, intelligi debet de poſſeſſione vacua non de occupata ab alio.

363 Quæ opinio ſit tenenda ex ſupradictis quando teſtator voluit rem legatam libere peruenire ad legatarium, vtrum cenſeatur data facultas occupandi rem legatam propria auctoritate.

364 Teſtator ſi conſtituat ſe nomine legatarij poſſidere, videtur permiſiſſe legatario, vt occupet rem legatam propria auctoritate.

365 Adminiſtratores & exſecutores teſtamentorum poſſunt capere propria manu rem ſibi legatam.

366 Fideicommiſſarius vniuerſalis poteſt ex voluntate teſtatoris, id ita iubentis propria auctoritate occupare res ſibi fideicommiſſo relictas.

367 Teſtator poteſt heredi pœnam imponere, niſi voluntati teſtatoris ſteterit.

368 Fructus rei legatæ, qui percipiuntur iacente hereditate, cuius commodo cedant, heredis, vel legatarij.

369 Fructus rei legatæ pertinent ad legatarium à die mortis defuncti ſi teſtator permiſerit legatario apprehendedere rem legatam propria auctoritate.

370 Teſtator ex eo quod permittat legatario apprehendere rem legatam propria auctoritate, non videtur in illa re legata Falcidiæ detractionem prohibuiſſe.

371 Lex non dubium C. de legatis, an hodie iure Regio corrigatur, remiſſiue.

372 Simulatus contractus non dicitur?

373 Simulati contractus, & in fraudem geſti differentia.

374 Simulato ex contractu, nec pretium venditionis, nec aliud quicquam exigetur.

375 Simulationis exceptio, an admittatur aduerſus

inſtrumentum publicum ſtante ſtatuto, quod nulla alia admittantur, niſi falſitatis, remiſſionis & ſolutionis, & c.

276 Simulationis exceptio, nec expreſſe tolli poteſt per ſtatutum.

377 Simulationis exceptio renuntiari non poteſt.

378 Nullitas ſententiæ allegari non poteſt propter expreſſam partium conuentionem.

379 Nullitatis vitium, de qua contrahentes non poßunt diſponere, nunquam tollitur per pactum.

380 Simulationi ex poſtfacto per pactum renuntiari poteſt.

381 L ſecund. C. de his, quæ vi metuſue cauſſa fiunt, intellecta.

382 Renuntiari an poſſit exceptioni non numeratæ pecuniæ dotis.

383 Simulationis exceptioni vtrum cum iuramento renuntiari poſſit.

384 Iuramenti relaxatio an ſit neceſſario potenda, quando renuntiatum eſt cum iuramento exceptioni ſimulationis.

385 Iuramentum debet habere tres comites, iuſtitiam, iudicium & veritatem.

386 Partes ſi poſtquam contractum ſimularunt, iurent omnia in eo contenta eßе vera, neque ſe contrauenturos, non poſſunt allegare ſimulationem contractus.

387 Hoc limitatur, ſi à tertio de ſimulatione opponatur.

388 Clauſula, appellatione remota, intelligitur tantum inter partes litigantes ſecus vero reſpectu tertii opponentis ſe pro ſuo intereſſe.

389 Tertius non prohibetur pro ſuo intereße appellare, quãdo cauſſa committitur appellatione remota.

390 Stante ſtatuto, quod à ſententia lata vigore inſtrumenti confeſſionati non poſſit appellari, intelligitur quoad ipſos litigantes, non vero quo ad tertium volentem appellare pro ſuo intereße, & lege Regia declaratur.

391 Tertius oppoſitor comparens pro ſuo intereſſe. aduerſus exſequutionem, audiendus eſt ordinarie, & contra eum non proceditur exſequutiue.

392 Iuramento licet confirmetur contractus vſurarius, non tamen iuramentum tertio obſtabit, quin contractum vſurarium dicere poſſit.

393 Iuramento licet poſſit renuntiari ſimulationi poſt contractum ſimulatum, iurando omnia, & ſingula in eo contenta eſſe vera, heres tamen iurantis poterit dicere contractum ſimulatum abſque periculo periurii.

394 Obſeruantia contractus iurati bene tranſit ad heredes, & tenebuntur eum ſeruare, licet non ſint periuri ſi veniant contra eum.

395 Populus idem hoc tempore putari debet, qui ab hinc mille annis, etiamſi ex illis nemo nunc viuat.

396 Periurium non tranſit ad heredes.

397 Turpitudine aliunde detecta poteſt opponere de ſimulatione ille, qui iurauit contenta in contractu ſimulato eſſe vera & ſe non contrauenturum.

398 Turpitudo an hoc caſu poſſit allegari per contrahentes ad coadiuuandam ſuam intentionem.

399 Pœna non debetur ex contractu ſimulato.

400 Pœna non debetur vbi principale non valet.

401 Simulatus contractus nunquam in dubio præſumitur, niſi probetur, maxime quando de contractu eſt factum inſtrumentum, & aliud dicenti, ſiue agendo, ſiue excipiendo, incumbit onus probandi.

402 Simulatum contractum ſatis probari per veroſimiles coniecturas, & per indicia & argumenta.

403 In his quæ ſint difficilis probationis, admittuntur præſumptiones & indicia, & cenſentur plenæ ac legitimæ probationes.

404 Tutor tenetur facere inuentarium bonorum pupilli.

405 Teſtator poteſt remittere tutori confectionem inuentarij bonorum pupilli.

406 Quod non procedit non tantum in tutore teſtamentario, ſed etiam in legitimo & datiuo.

407 Teſtator an poſſit remittere tutori confectionem inuentarij tacite ſimpliciter, & nu 409.

408 Vtilitas maxima eſt, quod paupertas, vel pompa alicuius non detegatur.

409 Gabellarius, ſiue publicanus, non poteſt compellere tranſeuntem viatorem, vt diſſoluat fardelos ſuos.

410 Teſtator an poßit remittere heredi confectionem inuentarij in præiudicium creditorum & legatariorum.

411 Teſtator licet remiſerit tutori confectionem inuentarij. tutor debet pati fieri deſcriptionem bonorum ad faciliorem probationem, & ne bona baratentur.

412 Iudex non obſtante remißione inuentarij facta per teſtatorem tutori, poteſt ſi prædicta remiſſio ſit contra vtilitatem minoris, iubere, vt illud conficiat.

413 Iudex poteſt remittere tutori confectionem inuentarij, ſi expediens pupillo viſum fuerit.

414 Vſufructuarius tenetur facere inuentarium.

415 Teſtator non poteſt remittere vſufructuario confectionem inuentarij.

416 Teſtatoris remißio cõfectionis inuentarij in vſufructuario operabitur, quod ipſe vſufructuarius non teneatur illud facere ſecundum ſolemnitatem leg. final. §. ſin. autem, C. de iure deliberan ſed ſufficit facere aliquam deſcriptionem.

417 Actio non oritur regulariter ex ſententia arbitri.

418 Hæc eſt ratio, quare à ſententia arbitri non poßit appellari.

419 Actio oritur ex ſententia arbitri, quando compromiſſum factum eſt ſine pœna, & ſententia arbitri eſt homologata expreſſe, & hodie idem eſſe, etiamſi compromißum ſit pœnale.

420 Appellari an poſſit à ſententia arbitri, quando compromiſſum eſt ſine pœna, & quando ſententia arbitri eſt homologata expreſſe.

421 Lex tert. § falſus, ff. rem ratam haberi, intelligitur.

422 Actio oritur ex ſententia arbitri homologata, etiamſi compromiſſum ſit cum pœna, quando in ea adiecta eſt clauſula, Rato manente pacto.

423 Clauſula, Rato manente pacto, quid operetur.

424 Appellari poteſt à ſententia arbitri, quæ auctoritate ſtatuti parit actionem.

425 Appellari poſſe à quacunque ſententia arbitri iure Canonico.

426 Appellari an poſſit hodie iure Regio à quacunque ſententia arbitri: & n. ſeq.

427 Actio non oritur ex ſententia arbitri, quando compromiſſum factum eſt per ſtipulationem, ſed condictio incerti competit, non ex ſententia, ſed ex ſtipulatione ad intereſſe.

428 Appellari hodie poterit à ſententia arbitri: quia ex ea datur actio, & exſequutionem meretur.

429 Appellari an poſſit à iudice, qui cognoſcit de reductione ad arbitrium boni viri.

430 Appellare licet à ſententia arbitri ſumpti ex neceſſitate ſtatuti.

431 Intellectus primus gl. in l. arbitrio, ff. qui ſatiſdar cog. reprobatus.

432 Declaratur l. quart. titul. 21. libr. quart. Nouæ recopil. Regiæ.

433 Lege vel ſtatuto mandante, quod fideiuſſores præſtentur ſub pœna annullationis actus, valet proceſſus geſtus ſine fideiuſſione, ſi illa non fuerit petita per alteram partem.

434 Statuto ſi caueatur, quod appellans vel petens reſtitutionem, debeat cauere cum fideiuſſore de reſtituendis expenſis, & quod aliter proceſſus factus non valeat, intelligitur, ſi petatur fideiuſſio à parte, alias ſecus.

435 Creditor qui exſequutionem petyt, & tenetur fideiuſſionem legis Toleti præſtare, vt ſibi de debito ſatiſfiat, an teneatur præſtare dictam fideiuſſionem etiamſi non fuerit petita? & ibidem leges Regiæ declarantur.

436 Petitio implicita & generalis ſufficit ad hoc, vt creditor teneatur præſtare fideiuſſionem.

437 Practica præſtandi fideiuſſionem legis Toleti in exſequutionibus.

438 Fideiuſſio præſtari debet ad ſolutionem faciendam in caſu l. de Madrid, de exſequutione compromißorum loquentis, etiam non petita.

439 Tranſactio habet exſequutionem paratam.

440 Arbitramenta & compromißa habent exſequutionem paratam, etiamſi pars immodice lædatur in ſententia arbitraria.

441 Arbitrorum ſententiam poteſt & debet exſequi iudex ordinarius cuiuſque loci, competens tamen, abſque requiſitione arbitrorum.

442 Vſuraria exceptio an ſuſpendat exſequutionem ſententiæ arbitrariæ.

443 Arbiter ſi præſentibus partibus & homologantibus ſententiam ferat, peti poterit exſequutio laudi, licet de compromißo nullatenus doceatur.

444 Recurſus à laudo arbitratoris ad arbitrium boni viri, poteſt haberi intra triginta annos.

445 Pacto effici poteſt, vt in illis caſibus, in quibus ex ſententia arbitri alias non naſcitur actio, appelletur ab ea, ſumendo appellationem largo modo & improprie.

446 Appellari poteſt ab exſequutore, qui nullam habet iuriſdictionem.

447 Appellare an liceat à mandato iudicis de exſequendo in caſibus, quibus non licet appellare ab exſequutione ſententiæ?

448 Appellari an poſſit ab exſequutione inſtrumentorum guarentigiorum.

449 Teſtator qui conſtitui iuſſit & mandauit fieri capellam, & capellaniam fundauit: vtrum poſſit aliquo caſu eius regimen auferre Epiſcopo ordinario loci, ita vt ſi Epiſcopus in id ſe intromittat, mandat eam non fieri, & quod relictum conuertatur in alios vſus pios, vel profanos, vel reuertatur ad aliquam vel aliquas perſonas per eum nominatas?

450 Teſtator circa ſpiritualia capellaniæ nihil poteſt diſponere circa Epiſcopi conſenſum, vt in exemplis hic poſitis.

451 Teſtator poteſt ſupra dicta diſponere, ſi Epiſcopus tempore ſuæ diſpoſitionis id conſentiat.

452 Epiſcopi quid hodie poſſint in iure patronatus, remiſſiue.

453 Seruanda eſt inſtitutio & ordinatio Eccleſiæ, ſeu fabricæ, qua cauetur & præcipitur ne adminiſtratores earum teneantur reddere rationem Epiſcopo ſuo.

454 Gloſſa magna in præſenti verb. quia neque declaratur.

455 Voluntas teſtatoris iubentis actionem certo tempore finiri, licet ipſo iure non teneat, ope tamen exceptionis valet.

456 Voluntas teſtatoris prohibentis ſolemnitatem teſtium requiſitorum interuenire, licet ipſo iure non valeat, tanquam minus ſolemnis, & tanquam contra ll. ope tamen exceptionis bene valebit.

457 Relicta in minus ſolemni voluntate an debeantur naturaliter? Prima opinio affirmatiua & num. quadrageſim. quinquag. octauo.

458 Conſcientia neminem ligat, quem naturaliter non obliget.

459 Naturalis obligatio, quod non oriatur ex teſtamento minus ſolemni.

460 Venientes ab inteſtato, an teneantur reſtituere hereditatem heredi ſcripto, & ſoluere legata relicta in minus ſolemni voluntate, ſaltem in foro conſcientiæ.

461 Heres inſtitutus in minus ſolemni voluntate, poſſidens bona hereditaria, an ſit tutus.

462 Legatarius rem ſibi legatam in minus ſolemni voluntate poſſidens, an ſit tutus exceptione, vt excludat venientes ab inteſtato illam repetentes.

463 Legatarius an poſſit rem ſibi legatam in minus ſolemni teſtamento propria auctoritate furari, aut illam petere per denuntiationem Euangelicam remiſſiue.

464 Hereditas relicta in minus ſolemni voluntate, an debeatur naturaliter?

465 Portio ad hoc vt accreſcat portioni, debet vacare omnino & ipſo iure.

466 Teſtator non poteſt iubere, vt actio perſonalis certo tempore finiatur, ſecus in actionibus realibus, in quibus id poteſt teſtator facere.

467 Teſtator non poteſt iubere, vt actio miſta realis & perſonalis, certo tempore finiatur, vt in ſeruitute.

468 Pactum per quod impeditur præſcriptio longiſſimi temporis, in qua non requiritur bona fides, non valet prima opinio.

469 Vſucapio & præſcriptio eſt inducta propter bonum publicum principaliter, ne dominia rerum eſſent incerta, atque in pendenti.

470 Pactum per quod impeditur præſcriptio longiſſimi temporis, quod valeat, & præſcriptio nullo modo procedat, ſecunda opinio.

471 Præſcriptio principaliter reſpicit fauorem priuatum ipſorum præſcribentium, ſecundario vero ius publicum.

472 Quando aliquid reſpicit fauorem priuatum principaliter, & incidenter publicum, bene poteſt renuntiari.

473 Vtilitas publica ſecundaria quando ſeparari non poteſt ab vtilitate priuata principali, renuntiari non poteſt, alias ſecus.

474 Præſcriptio 30. & 40. annorum iure digeſtorum non fuit cognita.

475 Debitor quando eſt obligatus perpetuo, vel quod poſſit compelli quandocunque, non præſcribitur obligatio, nec ius exſequutiuum vllo tempore, licet alias præſcriberetur.

476 Pactum per quod impeditur præſcriptio longiſſimi temporis, valet de iure canonico ſine dubio, & in foro ciuili etiam.

476 Actiones perſonales, & ſic illæ quæ 30. annis præſcribuntur, hodie cum mala fide non procedunt.

477 Præſcriptio 10. & 20. annorum, in qua bona fides requiritur, non poteſt procedere, ſi pactum ſit, quod non præſcribatur.

478 Tertius poßeſſor illius rei, qui bonam fidem haberet, bene præſcriberet, non obſtante tali pacto.

479 Mala fides auctoris nocet eius ſingulari ſucceſſori in præſcriptione longi temporis 10. & 20. ann.

480 Statutum diſponens quod debitum præſcribatur decennio an valeat? & ll. Regiæ allegantur.